

pium. Sed principia duo Aristotele ipso teste statuebat. Id est 5. capite 1. Physici:<sup>35</sup> *Etenim Parmenides frigidum et calidum principia facit.* Id Sapientiae 5. declarat:<sup>36</sup> *Unum quidem secundum rationem, plura vero secundum sensum existimans esse duo principia ponit rursus: calidum et frigidum, veluti ignem et terram dicens.* Quod si verum est Parmenidem posuisse et Aristotelem cognovisse, cur duobus longis capitibus vexatur? Veluti qui omnia entia unum esse assereret? Qui terram, qui frigidum, qui calidum, qui ignem dicit, non unam sane rem, sed quatuor dicit. Et 10 qui 1. De elementis capite 1. dixit:<sup>37</sup> *Nihil regenerari dicunt nec corrupti entium;* novit eos entia plura novisse, fuisse autem hos Parmenidem et Melissum statim subdit. Qui ergo plura entia asserit, praedicat, non recte refellitur, quod omnia unum esse dicat. Praeterea:<sup>38</sup> *Etiamsi alia dicant recte, sed non physice oportet eos existimare dicere, esse enim quaedam entium ingenita et omnino immobilia magis est alterius et prioris et non physicae speculationis.* Si ergo hic fatetur alia recte eos dicere, cur 1. Physico obiicitur Melisso sermonem eius esse φορτικόν, arrogantem? Et Parmenidi, quod τοῦτο οὕπω ἔώρα, *hoc nondum videbat*, quid nam? τὸ εἶναι ἔτερον τῷ λευκῷ καὶ ὡς ὑπάρχει. *Esse aliud albo et aliud id cui inest.* Quasi id esset secretum secretorum et is qui videbat unum principium immobile, supremum, omnium rerum a sensuum cognitione remotissimum. Is idem non posset videre, quae prae oculis versantur, album et albo subiectum corpus, 20 atque Parmenidia mens hac in re pateretur defectum quam 3.

<sup>35</sup> καὶ γὰρ Παρμενίδης ψυχρὸν καὶ θερμὸν ἀρχὰς ποιεῖ [ARIST. Ph. 188a.20–21]

<sup>36</sup> καὶ τὸ ἐν μὲν κατὰ τὸν λόγον πλείω δὲ κατὰ τὴν αἰσθησιν ὑπολαμβάνων εἶναι, {δύο τὰς αἰτίας καὶ} δύο τὰς ἀρχὰς τίθησι πάλιν, θερμὸν καὶ ψυχρόν, οἷον πῦρ καὶ γῆν λέγων [ARIST. Metaph. 986b.31–34]

<sup>37</sup> οὐδὲν γὰρ οὔτε [οὐδὲ] γίνεσθαι φασιν οὔτε φθείρεσθαι τῶν ὄντων. [ARIST. Cael. 298b. 15–16]

<sup>38</sup> εἰ καὶ τἄλλα [τ' ἄλλα] λέγουσι καλῶς, ἀλλ' οὐ φυσικῶς γε δεῖ νομίσαι [νομίζειν] λέγειν· τὸ γὰρ εἶναι ἄττα τῶν ὄντων ἀγένητα καὶ ὅλως ἀκίνητα μᾶλλον ἔστιν ἔτερας καὶ προτέρας, ἢ τῆς φυσικῆς σκέψεως [ἐπισκέψεως]. [ARIST. Cael. 298b.17–20]